Dissertatio inauguralis;

exhibens

historiam atque descriptionem

Catarrhi epidemici

s. d. Influenziae

tempore vernali anni 1837

in

oppidulo Weissenhorn grassati.

Auctore

Valentino Mahler,

Medicinae, Chirurgiae et Artis obstetriciae Doctore.

Monachii, 1838.

Typis Matthaei Poessenbacheri.

Praenobili atque doctissimo

Viro ac Domino

Henrico Bek,

Medicinae atque Chirurgiae Doctore, Medico forensi Weissenhornensi

pro

institutione medica qua sibi per biennium practicum frui licuit

Gratias acturus

Hasce primitias offerre voluit

Auctor.

De

morbi nomine et ubi ille prioribus temporibus apparuerit.

Influenza est morbus miasmaticus, epidemicus simulque contagiosus, qui certis periodis apparens et a septentrione ad Africum et Euronotum versus migrans magnam terrae partem occupavit et saepe alios majoris momenti morbos epidemicos aut praegressus aut subsecutus est.

Influenza variis nominibus est insignita, ut catarrho epidemico, Influenza Europaea, febri catarrhali, de la Grippe, Cholerine, Influenza septentrionali etc. et jam annis 1323, 1510, 1557, 1580, 1587, 1591, 1675, 1709, et postremo 1809, 1832, 1833 observata est.

Praecipua atque maxime memoranda epidemia regnabat anno 1782. Hic morbus tunc temporis extrema terrae parte septentrionali sese ostendit, mense Decembri 1781 Petropolin migravit atque ibi incredibili celeritate uno die quadraginta millia hominum invasit; exinde directione supra indicata Europam pervagans Septembri ejusdem anni in Anglicis Coloniis Americae est animadversa. Haud minori vehementia haec epidemia vere et aestate anni 1831 prodiit, qua Berolini triginta millia et postea Parisiis quadraginta quinque millia hominum eodem tempore sunt affecti. Epidemia anni 1833 et symptomatum vehementia et multitudine terrarum, per quas est propagata, inter reliquas eminuit. Ex omnibus descriptionibus, quae de hoc morbo

supersunt, hic morbus plerumque jure meritoque benignorum numero adscribi potest. Ejus symptomata secundum Stark, Metzger, Wittwer etc. sunt haec:

Subita affectio, sensus lassitudinis et dedolationis totius corporis, capitis dolor vehemens, frigus et calor majori vel minori gradu, deliria ad vesperam, fastidium ciborum, sitis magna, febricitatio, respiratio accelerata, vox rauca, tussis molesta, sternutatio frequens, nasus siccus, gravedo haerens, lingua muco albo vel flavo obducta, vertigo vehemens, dolor sub sterno, in pluribus aegrotis tumor narium, labii superioris et palpebrarum, saepe constipatio. Hoc malum, quod sudorem universalem, mucum narium solutum, sputa libera atque sedimentum urinae crassum crisin habet, lenissimo gradu duos tresve, vehementiori vero gradu decem vel duodecim dies interdum etiam diutius durabat.

Morbo inepte tractato, constitutione debili, malo neglecto vel refrigeratione in pejus mutato, facile ad hunc morbum accessere febres pertinaces cum charactere adynamico, cum inflamatione pulmonum, pleurae, cerebri etc.; quae quarto decimo vel vigesimo primo die aut mortem attulerunt aut crisi solita haud intrante morbos sic dictos consecutivos reliquere ut catarrhum pulmonum, blennorrhoeam, phthisin etc.

Prognosis in universum fausta erat statuenda; decursus morbi abnormis periculosus erat. Anni tempus, tempestas, coeli temperies, constitutio aëris epidemia in hoc quoque malo ut in omnibus morbis magnam vim habebat. Ejus essentia atque natura magnam habet similitudinem cum febri catarrhali. Origo hujus morbi in miasmate peculiari est quaerenda.

Ad morbi sanationem plerisque in casibus regimen diaeteticum naturae morbi accommodatum operam praestitit necessariam. Praeterea symptomata gravissima

diaphoretica, mox antiphlogistica vel expectorantia requirebant.

Anno 1837 Influenzam in urbe Weissenhorn atque in ejus vicinia observandi mihi occasio fuit oblata. Quae ibi sim expertus atque quam de hoc morbo mihi paraverim sententiam, hac scriptione litteris consignare mihi est in animo.

Descriptio loci.

Weissenhorn septentrionales Bavariae fines versus in provincia Sueviae et Neoburgi situm et quidem media in valle octo fere horas longa et ad summum unam fere horam lata, quae parvulo flumine Roth persecatur. Aëris et telluris rationes hujus vallis haud infaustae nominandae sunt. Opulenti campi frumentarii et herbosa prata, a fluviolo irrigata, silvae virentes, partim per vallem sparsae, partim collium juga obtegentes in oculum benignissimam exercent vim.

Weissenhorn, quod a paludibus et stagnantibus aquis circumdatum est, haud tam prospera opportunitate utitur. Ideoque omnes in hoc loco commorantes medici in eo consentiunt, epidemias per vallem subinde propagatas semper ex hoc loco initium cepisse. Urbs una tantum platea, ad quam utraque parte domus sunt exstructae atque ita loci longitudinem constituunt, a septentrione ad meridiem versus perscinditur; latitudo ab oriente occidentem versus porrecta vix quadringentos passus excedit.

Urbs mille quadringentis hominibus, qui praecipue opificiis aluntur exercendis, habitatur. Praeterea fere omnes, paucis tantum exceptis, agris etiam colendis victum quaerunt. Potus vulgaris est cerevisia fusca et alba; a pauperioribus haud exigua vini adusti copia sumitur. In universum homines sunt statura media, eorum corpora magis sunt robusta quam magna et

alta. Corporis structura valida et musculosa tam in sexu masculo quam femineo cernitur.

Incolae plerumque quinquaginta vel sexaginta annos attingunt; attamen septuagenarii vel octogenarii haud raro inveniuntur.

Morbi constitutio praegressa.

Quod ad hanc Epidemiam praegressum valetudinis statum loci attinet, aestate anni 1836 tussis convulsiva, qua haud exiguus parvulorum numerus correptus exstinctus est, saeviit. Mensibus auctumnalibus et prima hieme anni 1836, quum ex omnibus partibus et praesertim ex capite nostrae patriae tristis fama cholerae orientalis exortae afferretur, hic quoque quoddam cholerae sporadicae genus sese ostendit, qua tam multi incolae sine aetatis vel sexus discrimine tam subito correpti sunt ut nonnullis in casibus dubium esset num malum summum gradum attigisset et vera cholera asiatica esset exorta. Hos vero casus disparentes alta quies et tranquillitas secuta est. Pauci tantum aegroti et quidem chronicis laborantes morbis a medicis tractabantur. Haec vero subita tranquillitas peritum atque in arte servatum medicum haud fefellit, sed potius uti gubernator fallaci maris tranquillitate haud securus redditur, ita medicus hoc silentio imminentem animo praesagiit tempestatem. Continua aëris coelique et tempestatis mutatio (ut Thermometrum — 6 vel 8°, paulopost 0, et brevi post + 1 vel 2° R indicaret) et quidem tam subita ut terra per noctem frigore concreta ad meridiem solveretur, id quod praesertim per mensem Januarium et Februarium animadversum est. Quamquam igitur coeli aërisque rationes infaustae magnam ad morbos proclivitatem praebebant; tamen pauci morbi in conspectum prodiere.

Epidemiae exortus et propagatio.

Quum Influenza vere 1837 a septentrione et oriente in Europam ingrueret atque per omnium terrarum capita praesertim Petropolin, Vindobonam, Berolinum, Monachium incredibile celeritate propagaretur, hic quoque hujus Epidemiae prodromi paulatim obviam venere. Calendis et VI. ante Nonas Mart. in illa urbis parte, quae orientem versus sita est, primae morbosae affectiones sunt deprehensae.

Domo opificis cujusdam primum vir atque femina aegrotabant, uno die post liberi et unus mercenariorum. Morbus intra paucos dies ab oriente occidentem versus per totam urbem propagatus et mox in qualibet domo non unus sed plures influenza erant affecti. Nulla aetas, nullus sexus, nullus ordo intactus et incolumis mansit. Ut aliis locis ita hic etiam morbus subito prodiit. Ab hoc morbo affectus plerumque, si defatigationis sensum et appetitum deperditum excipias, die antecedente negotia sua obire poterat. Per noctem vero vel postero die morbus plerumque ad summum gradum adscenderat; aegrotus lecto erat affixus atque plerisque in casibus medici operam quaerere coactus erat.

Aetiologia.

Quamquam virtutes nostro aëre propriae et quam in illum sidera exerceant potestatem, et quibus periodis haec aëris potestas recurrat, quamquam porro vis, quam terrae exhalationes in atmosphaeram exercent, minus est nota, ut exinde miasmatum et contagiorum natura luculenter explicari possit, id tamen certe statui potest, huic morbo miasma peculiare subesse. Eodem jure contendere possumus, hunc morbum ibi, ubi semel exortus et vehementiam quandam sit assecutus, morbi contagiosi naturam induere posse.

Quae varii rei medicae scriptores de anni tempestatibus observarunt, in eo consentiunt, hiemes hanc epidemiam praegressas solito magis mites in septentrione, severas vero in meridie fuisse; ver plerumque varium, frigidum et humidum fuisse. Quae observationes et in hujus anni Epidemia factae sunt. Inde fieri potest, ut origo hujus Epidemiae in septentrionis campis glacialibus sit, atque exinde ejus venenum per reliquas orbis terrarum regiones diffundatur. Aëre semel hoc miasmate contaminato, coelum atque tempestas, quae duobus praegressis mensibus est observata, momento eruptionis hujus mali magnam et Epidemiae ortui et propagationi opportunitatem praebebat. Thermometrum initio Martii indicavit — 3 vel — 4 vel — 5° R. Coelum erat turbidum nubibus densum atque obscurum. Quotidie tempestates saeviebant praesertim quarto Martio tanta ingruit tempestas per totum diem, ut viae nivibus obtectae atque viatoribus prope inviae essent. Thermometrum si per diem puncto glaciei vel aliquot gradibus fixum erat, per noctem plerumque plures negativos gradus indicare solebat.

Morbi descriptio.

Magna lassitudo et membrorum defatigatio, dolor trahens in articulis, molestia, animi morositas atque magna virium prostratio, horripilatio cum intercurrente haud forti calore morbi initium nuntiabant. Affecti hoc morbo plerumque aliquot horis ante bene se habebant atque laboribus suis fungi poterant. Mox intravit cephalaea in regione frontali et orbitali, gravitas, obnubilatio et sensus premens capitis. Oculus mirum in modum sensibilis erat lucis, fulgor micans oculorum atque dolor ardens et mordens. Si Aegroti in lecto sese elevabant aut extra lectum commorabantur de vertigine atque videndi facultate turbata quereban-

tur. Conjunctiva Scleroticae erat rubra et quidquam subflavida, palpebrae tumidulae, glandulae magnam humoris copiam secernebant, ideoque oculus lacrimans videbatur atque per noctem palpebrae plerumque erant agglutinatae. Saepius querebantur de susurru et dolore lancinante aurium. Color faciei in validis et sanguine abundantibus hominibus rubro - coeruleus, si homines natura jam erant colore magis pallido et albido, tum color faciei fusco - et lurido - flavus erat. Membrana mucosa narium erat tumida, sternutatio saepius ingressa, primum siccus, postea mucosus et aqueus liquor secernebatur, qui ingressa crisi majorem minoremve consistentiam est nactus atque postremo crassis flavo - viridibus et puriformibus globulis excernebatur.

Labia atque cavum oris primum sicca deinde humida, lingua semper modo albo, lurido, modo flavo vel fusco - flavo involucro erat obducta; magna oris siccitas, molesta et vehemens sitis semper aderat; partes in faucibus sitae tumidae, rubrae et siccae; gustus alienatus plerumque pastaceus, amarus; ructus acidulus, fastidium ciborum, vomituritio neque raro vomitus biliosus sive mucosus; alvus plerumque erat aperta; diarrhoea vero et constipatio haud deerat; urinae secretio parca, urina rubra postea turbido - mucosa, sedimentum deponens.

Ad haec signa accessere tussis sicca, postea vero humida, multo sputo mucoso conjuncta. Respiratio accelerata interdum a pressione sub sterno costis et hypochondrio angustata, interdum anxietas. Pulsus erat semper irritatus, celer subdurus, plenus; cutis initio sicca, calida, postea vero fortiter ac toto corpore madens; somnus inquietus atque multis somniis interruptus. Cum his signis morbus incedere solebat. Homines plethoricae, arteriosae et arterioso - biliosae

corporis constitutionis vehementissime correpti maxime medicorum auxilio indigebant. Sub his conditionibus haud raro evenit, ut morbus breve tempus neglectus in Pneumoniam abierit. Praeterea a reliquis symptomatibus nihil erat timendum, sin illa etiam magnam vehementiae gradum assecuta sunt. Aetas, sexus, temperamentum et constitutio in hoc morbo ut in aliis morbis et pathologica et therapeutica ratione magnas constituere varietates.

Morbi decursus.

Plerisque in casibus si decursus morbi erat normalis et ubi medicorum auxilium quaerebatur, morbus duo tresve dies ad summum quatuor duravit. Morbi decursus intra octo vel decem dies erat absolutus si morbus sibi atque naturae erat relictus. Si quid in diaeta erat peccatum vel si aegrotus nimis mature lecto relicto in publicum prodierit atque exinde frigus collegerit morbi recidivi saepe pertinaciores magna cum aegroti virium exhaustione intravere, qui demum energicis medicamentis adhibitis sunt sublati.

Exitus.

Aegroti si regimen diaeteticum huic morbo accomodatum observabant atque a medico apte tractabantur, omnes sunt sanati. Neque in urbe, neque in proxima vicinia quisquam mortuus est, licet aegrotorum numerus haud fuerit exiguus. Cum proximis pagis Influenza crebro in characterem nervoso-putridum sese inclinaret pluresque illi succumberent, apud nos epidemia tantum terminata exitus in alios morbos sunt observati: e. g. affectione catarrhali rheumatica praevalente in catarrhum tracheae et pulmonum; symptomatibus vero gastrico-biliosis praevalentibus transitus in febrem intermittentem tertianam haud rari erant. Omnes morbi consecutivi curatione morbi naturae accomodata haud aegre profligati sunt.

Varietates.

Solum, in quo morbi semen germinabat atque ad maturitatem perveniebat, involucra externa atque interna esse videbantur. Membranae pituitariae, quae totum canalem cibarium atque respirationis organa vestiunt, membrana mucosa narium, oculorum atque ipsorum genitalium illae corporis partes erant, in quibus materia miasmatico-contagiosa haerebat. Sed fibrosa quoque musculorum involucra praesertim extremitatum plus minusve erant affecta. Morbus in variis organis atque systematibus variam exhibuit speciem. Itaque ad rectam morbi curationem requiritur, momenta primaria quaerere, sub quibus variae formae sint considerandae. Haec momenta morbi charactere, qui de comitantibus signis dependet, constituuntur. Complicatio frequentissima erat rheumatica, sed symptomata gastrica haud raro erant admixta.

Genius morborum stationarius, qui nunc est gastricus, in hoc morbo quoque imperium suum exercuisse atque illi formam suam impressisse videtur.

Ad has complicationes principales accedunt adhuc illae modificationes, quae in quolibet morbo constitutione Individui aegrotantis efficiuntur. Alia erat morbi imago in arteriosa, alia in venosa, alia in biliosa, in erethica et torpida constitutione etc.

Tres varietates primariae in adumbranda medendi ratione inprimis dignae sunt, quae distinguantur:

I. Influenza cum charactere rheumatico.

II. „ „ „ gastrico.

III. „ „ „ gastrico-rheumatico.

Quaelibet harum varietatum principalium decursum fecit cum signis aut inflamationis, aut erethismi, aut torporis.

Prognosis.

Sin ex rationibus Individuo propriis transitus in aliam morbi formam e. g. in affectionem localem, inflammationem pulmonum, meningum haud erat timendus, prognosis maxima securitate omnino fausta erat statuenda atque post duos tresve dies aegrotus ex medici curatione dimitti poterat. Sed in affectionibus quoque modo memoratis symptomata periculosa venaesectione aliquot unciarum instituta disparuere, atque sanguinis detractionis repetitio raro tantum erat necessaria.

De
ceteris hoc tempore occurrentibus morbis.

Aliae morbosae affectiones, exceptis chronicis, per illud tempus, quo Influenza imperium suum exercebat, non sunt deprehensae, omnes, qui aegrotabant, Influenza decubuere. Chronicae etiam affectiones, quarum modo mentionem feci, hujus Epidemiae dominationem sentire debebant. Phthisi laborantes per Influenzae durationem multo pejus sese habuere; querebantur haud raro de aucta lassitudine atque defatigatione inprimis de vago membrorum dolore; gustus erat corruptus, appetitus deperditus, vomitus spontaneus; etiam in illos, qui non aegrotabant, quodammodo haud benignam Influenza exercebat vim. Caput in plerisque erat obnubilatum, animi facultas relaxata, in pluribus irritatio sive stimulus tussiendi, cum lassitudine et taedio laborum.

Therapia.

Generalia.

Medendi methodus, quae contra Influenzam adhibebatur, erat pro re nata aut antiphlogistica, aut antigastrica et diaphoretica; et prima quidem ubi tantum catarrhus et non complicationes, altera ubi gastricae et tertia ubi rheumaticae complicationes praevalebant. Vomitu aut fortiore sudore excitato haud raro morbi quasi radices praecidebantur. Quodsi illud haud con-

tigit, artis erat negotium morbum ad criseos stadium perducere crisesque omni modo promovere. Ad decursum morbi normalem illud praecipue multum contribuit, si aegrotus praeceptis diaeteticis a medico praescriptis est obsecutus. Plerumque aegrotus unum vel duos dies lecto erat affixus. Nimius conclavis calor erat noxius. Capitis obnubilatio atque dolor premens et obtusus plerumque est auctus, respiratio erat angustata atque aestus siccus et mordax involucri exterioris aegroto sensum anxietatis excitavit. Ciborum minima erat copia praescribenda. Aegroto licebat, tantum jusculum carneum sive mucosum et poma cocta sumere. Ad explendam vehementem sitim propinata est aqua cum sacharo, oxymele vel syrupo rubi idaei. Si stadium criticum jam erat ingressum, aut si ab initio opportunitas quaedam ad sudorem erat animadvertenda, naturae conamen potu copioso infusi florum sambuci adjutum est. Tum sudores largi, qui haud raro odore specifico, acidulo nimirum et acri erant, subsequebantur. Aëris renovatio in aegroti conclavi, vitato tamen aëre perfluo, haud erat negligenda.

Specialia.

Therapia varie erat modificanda pro varietate Influenzae atque pro Individui constitutione. In Subjectis arteriosae constitutionis symptomata inflammationis praevalebant; inprimis thoracis organa erant affecta, pneumonia biliosa haud raro erat timenda. Sub his conditionibus venaesectio aliquot unciarum, quae nonnullis in casibus erat repetenda, utilissima erat, neque unquam exinde, ut a nonnullis medicis in aliis regionibus observatum est, detrimentum redundavit. Sanguis emissus crusta pleuritica erat obductus. Ad sublevandam medendi rationem nitrum depuratum atque ad sordes gastricas et sursum et deorsum evacuandas tartarus emeticus in apto vehiculo porrectus est.

Decocto nitroso cum tartaro stibiato adhibito plures et per os et per anum evacuationes subsecutae sunt. Massa vomitu reddita primum erat aquosa, mucosa, postea vero flavo - viridis et biliosa. Materies alvo evacuata primum erat duriuscula, tum vero tenuis, mucosa atque semper maleolens. Cutis prius sicca, rigida et calida mollior est facta atque exhalare coepit.

Infusum theatum sudorem universalem magno cum levamine effecit. Postero die aegroti tantum de lassitudine querebantur, ceterum erant plerumque hilares, lingua erat magis pura, appetitus redux atque omnia symptomata periculosiora disparuere. Quodsi tartaro emetico alvus non erat satis soluta, electuarii lenitivi quavis hora cochlear parvum sumendum praescriptum, atque ita morbus ad finem est perductus.

In constitutionibus venoso-biliosis, lymphatico-biliosis symptomata inflammatoria minus erant aperta et manifesta; simpliciores vero morbi formae, gastrica nimirum et gastrico-rheumatica, in constitutionibus modo nominatis in conspectum venere. Systema vasorum in his constitutionibus in universum minus erat affectum; mali sedes magis in membranis mucosis et serosis fuit. Sanguinis emissiones his in casibus haud erant necessariae, quin imo nitro supersederi poterat; emetica vero hic operam praestabant necessariam. Emetico sumpto saepe non nisi leviori infuso sambuci opus erat ad diaphoresin emetico jam excitatam magis promovendam. Quodsi emetico ventriculus et tractus intestinalis pluries erat evacuatus et si aegrotus post unam fere horam vomituritione non amplius erat vexatus, data est mixtura aërophora Hulmii sive potio Riveri. Aegrotus se in lecto continere debebat, nam, uti jam supra dictum est, post emeticum cutis transpirare coepit, quae transpiratio haud erat turbanda vel interrumpenda.

Admirabile mihi nonnullis in casibus conamen naturae videbatur, turbatam concinnitatem sive aequilibrium evacuationibus criticis restituendi. Id vero tum evenit, ubi ob certas causas venaesectio omissa vel emeticum indicatum non fuit datum. In Infantibus e. g., in adolescentibus haud tam robustae corporis structurae et in puellis arteriosae constitutionis, ubi post sanguinis emissiones morbi metaschematismus erat timendus, plerumque larga et critica epistaxis ingressa est. In feminis ad pariendum vicinis et tempore mensium, ubi emeticum contraindicatum erat, ventriculus et tractus intestinalis sua sponte est evacuatus, ut exinde conamen naturae salutare et criticum dilucide appareret.